



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

que Pannonios neque terram, neque aërem felicem habere, neque apud eos vitem, aut oleam nisi parcissimè nasci: maiorem hinc anni partem defæuire hyemem: indigenas hordeo, & milio victitare, atque inde potum parare quem Zeam vocant, sic *Strabo*. Probi tamen tempore mons Almus apud Sirmium vitibus confitus est opere militari. Quantum hinc auri crescat, & quanti hinc bifontes dicemus in Admirandis. Canes Venatici hinc laudantur ab *Oppiano*, & *Nemesiano*. Pileos Pannonios è pellibus in usum militum commendat *Vegetius*. Hanc quoque glandiferam regionem vocat *Plinius lib. 3. cap. 25.*

N V M. 4. Mores.

OMNES Pannonij fortes, ideoque feroces, & armiferi à Poëtis dicti. Subdolos fuisse innuit *Tibulus*: literarum amantes, & potissimum linguæ Latinæ *Paterculus*: ad pugnam, cædemque paratissimos *Herodianus*. Hinc mulieres laboris patientes, & operosas agnoscit *Alianus*. Agros per cognationes possidebant, *Strabo*. Mortuorum corpora in stagna proiiciebant *Diog. Laërtius*. Solem venerabantur, cuius imago, discus longiori hastæ præfixus.

N V M. 5. Politia.

GLORIOSI admodum Pannonij ob Agrianos qui egregiam Philippo, & Alexandro navarunt operam, hi enim inter Pannonios numerati sunt: sed hinc *Appianus* Pæones cum Pannoniis confundit. Fuere Romanis terribiles ex quo Cornelium quemdam eorum Ducem fuderunt, quare deinde nemo Magistratum Romanorum eos aggressus est, intactique ad Augusti tēpora perstiterunt. Et tum quoque nulla apud eos iudicia communia, nulli Principes qui cæteris præessent. Quare licet educere possent centum armatorum millia, numquam tamen magnas copias conscripsere, deficiente Duce. Hæc *Appianus*: apud quem & leges bella ibidem ab Augusto confecta, in *Illyricis Latinis*.